

DOCENDI RATIO
IN
SCHOLA ISENACENSI
ANTE NOSTRA TEMPORA VSVRPATA
HODIEQVE PROBATA



SVB AVSPICIA
ANNIVERSARIAE LVSTRATIONIS
A DIE XXVIII. MART. AD DIEM I. APR. A. CIV MDCC XXXXVI.
PERAGENDAE



QVAM VT
ILL. GYMNASII PATRONI
MV SARVMQ. FAVTORES
CONCELEBRARE
ITEMQ. QVATVOR ORATIONES
DIE III. APRIL. RECITANDAS
BENIGNE AVDIRE DIGNENTVR
SVMMISSE ET OBSERVANTISS. ROGANTVR



EXPOSITA
A
IO. MICHAELE HEVSINGERO
ILL. GYMNAS. DIRECT.



ISENACI
FORMIS KRUGIANIS.





I.



uae initia nouae scholae nostrae fuerint, cum ex superiore disertatione mea satis appareat, ubi perturbato admodum ciuitatis statu eam coepisse ostendi, cum nec idonei formandae iuuentuti magistri domi reperirentur, nec inuentis et priuato prope consilio constitutis iusta praeberentur: quantum illo tempore qualicumque eorum opera profici potuerit, silentibus quamuis annalibus, per se quisque facili coniectura adsequetur. Aliis enim probatos antea praeceptores requirentibus, nouosque asperrantibus; aliis, ut fit, utrosque fortasse parum probantibus, nec pristina scholae frequentia manere, nec disciplina commode regi, nedum emendari, potuit. Qualem itaque docendi rationem primis illis annis ingressi fuerint, qui desertas a barbaris magistris cathedras occupauerant, quod nec ipsi memoriae prodendum putarunt, mihi quoque aliorum concessu in medio relinquere licebit, qui iam tum meliorem desideratam quaesitamque fuisse reperio. Nec tamen voto protinus fortuna respondit: cum magni utique operis esset, inueteratis ubique malis mederi, rem Christianam restituere, sacerdotes ac praeceptores singulis oppidis ac vicis dare, hisque eas leges, quas tempus posceret, praescribere. Prima igitur emendatio tentata est a. cio io xxviii. quo ad eam formulam, quae superiore anno e Lutheri maxime consilio constituta fuerat, publica nostrae quoque
ci.

ciuitatis institutio accommodari coepit. (a) Ea scholas diuidit tribus curiis, singularum classium singulis magistris sua officia praescribit. Inferiori curiae praeficitur, qui tenerum balbumque puerorum os formet. Legebantur autem ab elementariis, patrio sermone, precum formulae vsu vulgatissimae, et symbolum apostolicum; Latino, vocabula, Donatus, id est, declinationes et coniugationes, Catonis disticha, quae vocant; eaque omnia memoriter reddenda exigebantur. Mediae praeceptor pleniora totius grammatices praecepta, etymologica, syntactica et prosodica tradere; aliis horis Aesopi fabulas, Mosellani paedologiam, siue dialogos Latinos, Erasmi selecta colloquia, sententias poetarum, praeter haec et Terentium ac Plauti aliquot fabulas interpretari iubetur. Qui superiori coetui praest, eadem lege multus adhuc est in obseruationibus grammaticis, in notandis maxime figuris grammaticis; plus tamen temporis tribuit scriptoribus antiquis, Virgilio, Ouidii metamorphosis, Ciceronis officii et epistolis. Idem adolescentes profectus dialecticis et rhetoricis praeceptionibus alit, et ad extemporalem quoque dicendi et scribendi facultatem exercet. Ad hanc comparandam plurimum, illius quidem aetatis iudicio, confert frequens Latini sermonis in quotidianis congressibus puerorum vsus, cuius acrem esse exactorem optimum quemque praeceptorem deceat. Ad cantandi scientiam omnes quotidie fere erudiuntur promiscue, eique institutionis parti hora prima postmeridiana destinatur. (b) Ex sacris litteris vnum tantum et alterum librum cognoscendi potestas datur, Matthaeum, Pauli epistolas ad Timotheum, Ioannis priorem, ac deinde Salomonis prouerbia: cetera prouectiori aetati seruantur. Graeca lingua, maxime vero Ebraica, a scholis excluditur, quasi felici discipulorum profectui obstitura. (c) Adeo discrepantia hominum ac saeculorum de

)(2

stu-

a Legitur ea in Lutheri tomo III. Ienens. Germanic. fol. 349. seqq.

b Veterum scilicet medicorum praecepto, qui *prodesse* existimabant *aduersus tardam concoctionem clare legere*, vel, cuius eadem ratio, cantare. Vid. Cornel. Celsus de medic. lib. I. c. 2. circa med. et c. 8. Oribas. lib. I. c. 5. Plin. lib. VIII. ep. xxxvi. 3.

c Tom. III. Ien. fol. 349. b. *Erstlich sollen die schulmeister vleis ankeren, dass sie die kinder allein lateinisch leren, nicht grekisch, oder ebreisch, wie etliche bisher gethan, die men kinder mit solcher mannigfaltigkeit beschweren, die nicht allein vnfruchtbar, sondern auch schedlich ist. Man siehet auch, dass solche schulmeister nicht der kinder nutz bedenken, sondern vmb ihres rhums willen so viel sprachen furnemen. Habes natales inueteratae in scholis nostris de Graeca lingua opinionis.*

studiis eorumque ordine sunt fueruntque semper iudicia. Apud nos tamen Graeca cum Latinis illis quoque temporibus fuisse coniuncta, inde mihi fit credibile, quod Rebhanius, cuius verba cap. I. princ. posui, *utramque linguam* ab initio statim traditam, adfirmat, quae est Graeca et Latina; et quod primus rector, Petrus Auianus, veteri e- logio, fuit *bonus latinista, bonus graecista* (d), qui cum paucis sapere, quam cum multis errare maluit. In ceteris nihil fere ab illa lege dis- cesum fuisse reperio, cum et clasium numerus, et discendi ordo conueniat, posteris quoque annis diu seruatus.

II. Nam etsi a. MDIO XXXIII. quarta clas- sis accessit, non plus ta- men de prioribus institutis mutatum fuit, quam quod medius coe- tus, quem vnus *hypodidas- calus* rexerat, in duos distractus, duos prae- fectos accepit, *conrectorem* et *hypodidas- calum*. Exstat publica de re scho- lastica constitutio, a. MDIO LXXIII ab iis conscripta et promulgata, quos AVGVSTVS, Saxoniae dux et elector, ad Vinariensis et Cobur- gensis tractus scholas lustrandas miserat, qua docendi partes ita dis- tribuuntur (e). Quarta clas- sis pueros recipit litterarum adhuc ru- des; quos legendi et scribendi aliquam facultatem adeptos *cantor* vul- garisimorum pariter vocabulorum copia, et flectendarum vocum pe- ritia instruat, et quotidiana lectione *catecheseos grammaticae* (quam Iustus Menius separatim typis exscribendam curauerat) sententia- rumque Catonis magis firmet. Ita initiati ad tertiae clas- sis praece- ptorem abducuntur, qui eadem, quae iam antea utcumque haese- rant, quotidiana repetitione infigit, hisque fabellas Aesopicas et con- struendi sermonis rudimenta adiicit. Secundae inde clas- si adscri- pti grammaticorum praeceptorum, quae sub Melanchthonis et Mi- cylli nomine ferebantur, plenior- em explicationem audiunt, Virgilio bucolica, Ciceronisque epistolas a Sturmio selectas interpretari inci- piunt, et iam stilo paullo plus temporis impertiunt. Prima clas- sis ad ea, quae ex theologia in Melanchthonis locis communibus et examine theologico traduntur, percipienda admittitur: in Latinis e- mendationis structurae magister adhibetur Linacer, et Ciceronis, Te- rentii, Virgilio, qui quotidie praeleguntur, imitatio tentatur: transi- tur et ad Graeca, a quibus antea haec aetas procul abesse iussa fu- erat,

d Apud Paullin. de rectorib. schol. Ifenac. n. 2.

e Tomo III. institutionis litteratae, Torunii Borusf. editae, a pag. 382.

erat, paucisque ex euangelistarum scriptis degustatis, ac potius a primis elementis, protinus ad Hesiodum properatur, pariterque et verificandi opera exigitur. Dialecticis, rhetoricis atque arithmeticis tantum loci erat, quantum firmandis tum scholasticis profectibus opus esse putabatur. Ex his satis, spero, intelligi poterit, qua fide Paullinus (f) eius aetatis scholam nostram his, quae subiiciam, verbis descripserit. *In quarta classe docebantur pueri legere et haesitanter declinare nomina, et haec classis aliquando ducentos capiebat. In tertia tradebantur catechesis Lutheri, declinationes et coniugationes: adultiores in ea breues sententias ex vernacula in Latinam vertebant linguam. Quavis hebdomade tres horae explicationi vnici distichi Catoniani adsignabantur. In secunda discebant catechismum Latinum et regulas aliquot grammaticales. Exponebantur simul versus nonnulli Virgiliani. Nullus vero Graeca poterat legere. Summum artificium triennis seu quadriennis primari erat paragraphos aliquot in Latinum, seu ex hoc in vernaculum transtulisse sermonem. Logica et rhetorica omnino ignota, saltem pauciores inde discesfuri pro viatico leuem praegustum de hac vel ista habebant.* Maligne satis bonorum virorum, qui tum iuuentutis studiis praefuerunt, fama laceratur. Vidit hoc ipse: itaque, vt minus sibi inuidiosum esset, Borstelmannum, qui aliquanto post scholae rector fuit, auctorem nobis citauit, ex cuius scripta aliqua oratione se omnia haec transtulisse vult videri. Quam religiose is alieno testimonio vsus fuerit, parum mihi quidem liquet: illud vero apertum est, iam diu ante Weinrichios Graecas litteras, dialecticam et rhetoricam haud segniter fuisse cultas. Certior eius rei testis est Christophorus Winerus, vir suae aetatis doctissimus, quem ab a. 1610 LV. in schola nostra discendi causa versatum fuisse scimus. Is vero in vita sua, quae scripta supereft in bibliotheca nostra, his verbis Paullinum arguit. *Decem annorum puer (de se loquitur) in ludum litterarium abducitur. Primos hic inferioribus classibus in re grammatica et Latina lingua discenda formatores habuit Sebastianum Noëtium, disciplina grauem, sed formidabilem; Paulum Wachsmundum, humanitate iucunda fauorabilem, Hieronymum Schollionem, lenitate facili commendabilem; in suprema curia rectores scholae, Andream Boëthium, Gubennatem, serena fronte et adfabili congressu amabilem, Fridericum Widebramum, censura graui honorabilem. Sub quibus logicarum artium et vtriusque linguae fundamenta recte percepit;*

structurae emendatae ex gnava Linacri interpretatione; disserendi dicendique
praeceptorum ex Philippi erotematum iugi auscultatione; cum scriptione prosae
et solutae orationis hebdomadariis exercitiis. Sic logico fundamento in hac
schola feliciter iacto, cum in defuncti Stigelii locum vocatus Widebramus disce-
deret in academiam, (factum id est sub primum autumnum anni LXII.) ineun-
te vere anni consequentis praeceptorem discipulus secutus est. Sed ita solet
Paullinus, qui cum reperisset, inclinante saeculo xvi. litteras in his ter-
ris partim Gothano bello, partim pertinacibus theologorum concer-
tationibus, postremo et pestilentia adflictas iacuisse, earumque studia,
tot tantisque malis interpellata, non in nostra magis, quam et in ce-
teris scholis refrixisse; quod paucorum annorum fortasse vitium fu-
it, toti saeculo tribuit. Hoc tanto magis miror, cum alio loco (g), sui
immemor, ipse, quod nullo alio loco legi, memoriae prodiderit, Qui-
rino Bisfandro scholam moderante, Georgium Rhoenium, archidia-
conum, nostris adolescentibus Hesiodum et Isocratem alternis inter-
pretatum esse: quae opera superuacanea ac praepostera utique fuis-
set, si nemo audientium Graece legere potuisset. Ita suopte testimo-
nio tantus Isenacensis historiae auctor reuincitur.

III. Sed iam videamus, quid noui a Weinrichiis, quos merito ille
quidem laudat, adlatum, quid pristinis institutis sub iis adstructum
fuerit. Sub Valentino, patre, a. cio ioc xviii. *quintus* collega ad nu-
merum ordinariorum adscriptus, cantoris maxime laborem leuauit,
elementarios pueros erudiendos nactus, qui adhuc legendi iam pe-
ritis permixti federant. Ita dum paullo firmiores profectus ad terti-
am classem adferebantur, non poterat id non ad totius scholae incre-
mentum proficere. Eiusdem rectoris opera anno cio ioc viii. breui-
ora et limatiora grammaticae artis praecepta in manus discipulorum per-
uenerunt, quae postea, pluribus editionibus vulgata, finitimis quoque
scholis probata et in nonnullis in alterum saeculum retenta scimus (h).
Ex ceteris eius illud maxime commemorandum, quod proferendi in-
genii copiam adolescentibus dedit, eorumque publicis recitationibus
et disputationibus exercendorum morem, a nemine alio antea, quod
sciam, usurpatum, induxit: quem a filio Ieremia postea frequentatum,
in-

g De rectorib. schol. Isenac. n. 9.

h De vtraque Weinrichii grammatica, in usum plurium scholarum publica auctori-
tate confecta, plura dicentur in vita Val. Weinrichii, quam primum eius nar-
randae dabitur facultas.

inde vero saepe intermissum, nostra demum aetas retulit, posteris quoque seruandum. Manet etiam nunc aliquot huius generis exercitationum memoria, quibus et pater et filius tum anniuersarias lustrationes, tum principis natales celebratos testatum esse voluerunt; de quibus vero alio loco plura dicentur. Illud tantum hic praetereundum non duco, quod numquam apud nos, neque antea, neque postea, plus curae operaeque poëticis studiis impertitum reperio, quam sub Weinrichiis iuuenilium ingeniorum formatoribus: quorum auctoritate, exemplo et praeceptis effectum est, ut plerique Horatii, quam Ciceronis, similes esse mallent, qui ingenio et industria ceteros praestarent. Quae causa est, cur ex Weinrichianae disciplinae alumnis, in quibus et Caspar Barthius fuit (i), aliqui Latinis poëtis adnumerari, nullus fortasse vel mediocribus oratoribus comparari possit. Adeo a prima aetate proprium illud et aequabile dicendi genus, a quo illa aetas longissime abfuit, colendum est iis, qui rectae et antiquae eloquentiae sunt studiosi.

III. Weinrichiana vestigia, quantum potuit, bona fide pressit Conradus Mollerus, ab eodem, cui successit, antea institutus: sub quo nihil nouatum reperio. Postquam vero paullo seniori adiutor datus est, Henricus Borstelmannus; proximo statim anno MDCLXIII. noua quaedam docendi compendia tentata sunt. In primis cum quotidianis precibus matutinis coniungenda visa est lectio sacrarum litterarum, in plerisque scholis antea neglecta, statisque horis accuratior explicatio catecheseos patrio sermone propositae, ad inferendam maxime animis pietatem accommodata. Improbata deinde est ea veterum scriptorum interpretatio, quae nondum explanata eorum verba Germanice conuertit: cum verborum significationes et res ipsae explicandae sint prius, quam in nostram linguam conuertere pueri iubeantur, quae antea nondum visa legunt. Quintae classis (quae etiam nunc infima erat) praeceptorum, iniquo laboris onere pressa, admittere e primariis adiunctus est, qui ternis hebdomade horis minores audiret recitantes, praemium opellae huius quaternos florenos annuos laturus. Quartae classis, ex veteri instituto, quotidiana cura fuit, ediscere catechesin Germanice scriptam, dicta sacrarum litterarum.

i Paullin. annal. n. 235. Ipse Barthius id satis testatum fecit carmine Weinrichianae grammaticae adiecto,

rarum, psalmos, vocabula Latina, declinationes et coniugationes, fa-
 cilia et maxime necessaria praecepta grammatices Weinrichianae,
 sed satis ante a praeceptore explicata: quibus cognitis iungendorum
 inter se copulandorumque verborum ratio exemplis monstrabatur.
 Tertiae classi parum conuenire iudicantur epistolae Ciceronis et
 Erasmi colloquia: quibus Seidelii portula Latinitatis praefertur:
 eidem catechesis Latina, quae adhuc in manibus fuerat, nil quid-
 quam prodesse censetur, et cedere Germanicae iubetur. Secundae
 classi veteres scriptores, Terentius, Virgilius, quos longior usus rece-
 perat, relinquuntur; sententiis vero et versibus *μνημονικῶς*, vndique
 collectis, Seidelii portula Latinitatis anteponitur: monetur huius clas-
 sis praeceptor, vt mature nostrae Latinaeque linguae differentias ob-
 seruare doceat pueros; caueat, ne quid vitii alterutra ex alterius
 commercio trahat, ne Latino Germanicus, ne Germanico Latinus
 sermo sit propior: commendatur illud emendationis genus, quod non
 discipulorum tantum vitia emendat, sed et meliora atque optima prae-
 scribit, quoque illi vtuntur, qui materiam, ad scribendum proposi-
 tam, a se quoque ad veterum exemplum elaboratam ac politam di-
 ctare solent. Arithmetica iam huic quoque classi necessaria esse sta-
 tuitur, quam adhuc primani tantum attigerant: de Graeca lingua ta-
 cetur, quam a Weinrichianis temporibus, vt videtur, secundani etiam
 degustare coeperant. His certe annis Gualtperii grammaticam et
 euangelia Graeca lectitabant. In prima classe arithmeticae et stili
 exercitationi plus temporis ac studii impertiendum esse iudicatur:
 de ceteris nihil noui decernitur. Scriptores autem, qui tum versa-
 bantur, erant, e Graecis, euangelistae et apostoli, Isocrates, (aliquan-
 do et Plutarchus de puerorum educatione, vel Ceбетis tabula) Hesi-
 odus vel Theognis; (postea ab a. 1010 LXI. Posselii euangelia)
 e Romanis Terentius vel Plautus, Cicero (cuius orationes, libros de
 amicitia et de senectute, ferius epistolas quoque, explanatas inuenio)
 Virgilius, Horatius: quibus a. 1010 LXIII. Cornelius Nepos acces-
 sit. In logicis Horneii, in rhetoricis Kirchmanni, in arithmeti-
 cis Reyheri praecepta optima habebantur.

V. Haec maximam partem reliquis eius saeculi annis seruata sunt:
 in paucis mutatio facta. Prima fuit, cum a. 1010 LVIII. rudes pueri,
 quos quinta classis antea admiserat, ab ea exclusi, in illam, quae nunc
 sex-

sexta dicitur, recepti sunt: qua re tamen id tantum effectum est, ut eadem, quae antea, facilius tradere posset quintae classis magister. In *tertia* a. MDC LXXII. arithmetica, et exeunte illo saeculo Graeca lingua etiam locum sortita est: et, quia Erasiana colloquia iam pridem legi desita erant, pro his Castellionis dialogi sacri tandem MDC LXXX. recepti sunt. In *secunda* Virgilii lectio, iam saepe antea intermissa, prorsus conticuit a. MDC LXXXVI. cum Murmelii sententiae, quae iam ab a. MDC LXXXI. explanatae fuerant, quibusque Zehnerianae nunc accedebant, magnam satis bonorum versuum copiam tiro-nibus suppeditare dicerentur. Sed vix annus intercescit, cum Ouidii libri tristium initiandis poetiis aptiores haberi coeperunt. Eodem fere tempore Ciceronis epistolae selectae in pristinum locum redierunt, cum quibus anno eius saeculi extremo Cornelius Nepos coniunctus fuit. Adhuc Ebraica lingua nostrae scholae ignota fuerat: nunc vero eius quoque discendae cupido iniecta est, cum *primanis* a. MDC LXXXIII. et post quintum annum *secundanis* pariter Schickardiana praeepta noscere contigit. Tum et Terentius ac Plautus, longa possessione pulsi, merito aliquando ceserunt Ciceroni, grauiori dicendi magistro: cuius epistolis, orationibus ceterisque operibus in superiore classe voluendis plus multo, quam antea, temporis dandum esse, nostra demum aetas vel intellexit, vel sapientiori antiquitati adfensit. Horneianam logicam anno MDC LXXX. Bechmanniana expulit, cui et ipsi tamen, ut fieri solet, breui tempore successum est. Id laude dignum, quod eodem anno ad historiae cognitionem iuuentus reuocata est, cuius nulla fere antea fuerat cura. Satis tamen in hac proficiebant, qui Sleidani libellum de quatuor summis imperiis, et postea Friderici Hildebrandi *synopsin* peruolutabant. Atque ita tandem ante huius saeculi exortum nostra docendi ratio propius paulatim ad eam normam, quae doctioribus probatur, accessit.

VI. Secutum est illud tempus, quo *selecta classis*, disciplinarum ad legitimam studiorum maturitatem necessariarum officina, constituta est. Quae acroases primis factae fuerint annis, quibus ea sub peculiari praefecto fuit, in nostris tabulis memoriae non est proditum. Vbi vero Christiano Iunkero totius scholae administratio demandata, et supernumerariae quoque classis disciplina permisa est: noua docendi lex haec fere fuit. Aliis horis separati a primanis selectani, aliis cum

) (

his

his vnum in locum (quod primae clasfis auditorium fuit) congregati, praeceptoribus operam dederunt. Soli audiuerunt theologiam theticam et moralem, (k) historiam ecclesiasticam, a Rechenbergio contractam (l), eiusdem philosophiae ciuilis lineamenta, Horatium et Virgilium; coniunctim cum primanis, interpretationem N. T. Graeci, Isocratis orationum, vel Plutarchi *περί παιδων ἀγωγῆς*, orationum et epistolarum Ciceronis, praecepta artis oratoriae, (m) logices Bechmanianae, geometriae, linguae Ebraicae Danziana, historiam vniuersalem. (n) Separatim quoque ea recitarunt, quae Germanico, Latino Graecoque sermone soluto vel ligato composita praeceptoris iudicio subiiciebant. Segregati a selectanis instituti sunt primani in prosodia et theologia: qui et Curtium, Ouidiique libros tristium et e Ponto separatim legerunt, ac stili specimina sua emendanda proposuerunt. Sed non diu perstitit haec scholae consuetudo. Nouae mutationis causa fuit dispersitum cum nouo *seminarii theologici inspectore*, Christophoro Augusto Heumanno (cui adhuc superstiti, ac de se quoque optime merito, longissimam vitam precantur Isenacenses Musae) in superioribus clasibus docendi munus. Eius administrandi ordo optime ex hac tabula, Iunkerianis verbis scripta, cognoscetur: quae vbi eadem vtrique clasfi praescribit, ab vno praeceptore vtramque pariter institutam fuisse monstrat.

DISPOSITIO LECTIONVM PVBLICARVM

IN CLASSE SELECTA

IN CLASSE PRIMA

DIE LVNAE

FOR. VI. N. testam. Graec.
 VII. Compend. theol. Hutter.
 VIII. Epistol. Cicer. ad fam.
 I. Ebraica.
 II. Oratoria.

N. testam. Graec.
 Comp. theol. Hutter.
 Epistol. Cicer. ad fam.
 Ebraica.
 Oratoria.

DIE MARTIS

Eaedem lectiones.

Eaedem lectiones.

k In illa ab Hutteri vestigiis non discessum, in hac suo ingenio vsus est, cui hoc munus obtigit.

l Cuius *summarium* ab illo tempore in manibus auditorum nostrorum est.

m Optima tum putabantur, quae Erdmannus Vhse tradidit in *Wol informirtem redner.*

n Cuius *synopsis* Hildebrandinam ceteris praeferebant, qui tum scholae imponebant leges.

DIE MERCVRH.

- VI. *Philosophia Buddei.*
 VII. *Exercitium stili.*
 VIII. *Exercitium disputandi.*

Curtius.
Exercitia stili varia
per duas horas.

DIE IOVIS

- VI. *Logica Bechmanni.*
 VII. *Ouidius per aestatem.*
 VIII. *Sacra publica.*
 I. *Orationes Ciceronis.*
 II. *Lineament. philos. mor.*
et ciuil.

Logica Bechmanni.
Ouidius per aestatem.
Sacra publica.
Orationes Ciceronis.
Ouidius.

DIE VENERIS

- VI. *Logica Bechmanni.*
 VII. *Historia Hildebrandi.*
 VIII. *Plutarch. vel Isocrat.*
 I. *Orationes Ciceronis.*
 II. *Geographia.*

Logica Bechmanni.
Historia Hildebrandi.
Plutarchus vel Isocrates.
Orationes Ciceronis.
Geographia.

DIE SATVRNI

- VI. *Historia eccles. Rechenb.*
 VII. *Virgilius.*
 VIII. *Repetitio.*

Exercitationes poeticae lingu. Lat.
et German. per duas horas.
Repetitio.

DIE SOLIS

Peractis sacris publicis hora ascetica
utriusque classis discipulis praesentibus.

Haec tabula diuersis litterarum formis significat, quid a *rectore*, quid ab *inspectore* tradendum fuerit. Nam quae *antiquis* litteris expressa sunt, *receptoris*, quae *currentibus*, quas vocant, *inspectoris* curae permisa tum fuerunt. Sexta autem hora matutina antiquitus prima erat operarum scholasticarum, mensibus scilicet vernis et aestiuis: septima, qua nunc toto anno schola conuocatur, ab autumnali ad vernum aequinoctium. In paucis ab hac quoque forma proximis annis discesum video. Nam a. c. m. cc. xii. theologia selectanis separatim binis horis explicabatur ab vno e sacerdotali collegio, qui e nouo principis instituto supra numerum cooptatus fuerat, quem inde *stiftsprediger* vocamus: qui et historiam ecclesiasticam die Martis singulis horis continuis adiecit. Historiae quoque vniuersalis auctor probari desit Hildebrandus, potior-
)() (2
 que

que eo habitus est Cellarius. Leuiores mitto, quae ex Iunkerianis schedis, vulgatis maxime (o), cognosci possunt, et ad ea, quae nostris temporibus propiora sunt, peruenio.

VII. Noua consilia agitata sunt a. c. 10 CC XVIII. cum ex iis, qui tum iuuentutis in publica schola instituendae munus sustinebant, in theologia, logica et rhetorica non contenti essent aliqui Hutterianis, Bechmannianis et Vossonianis praeceptis, (quae haud ita pridem prae Vhseanis arriserant) eaque publici saporis esse negarent: exstitissetque, qui Gallicam quoque linguam, vernaculam eloquentiam, historiam litterariam, illustrium familiarum origines et propagines, artem denique, quam ignotam Romanis *heraldicam* vocamus, in nullo honore haberi, indigne ferret. Res digna visa est superiorum curiarum consultatione, eaque aliquamdiu deliberata, responsum: Hutteri compendium sufficere scholasticis in theologia profectibus; veterem logicam cum Buddeana, Vossonianam rhetoricam, quae doctissimorum virorum iudicio probetur, cum nouorum rhetorum praeceptionibus esse coniungendam; patrium sermonem interpretandis prisca scriptoribus utilissime posse excoli; cetera, quae vel omnibus non sint necessaria, vel aetate postulant maturiorem, priuatis partim scholis, partim academicis relinqui; in publico gymnasio praecipuum locum iis deberi, sine quibus cetera male discantur. In his prima ponitur Latini Graecique sermonis cognitio, quae omnibus promiscue ita necessaria esse censetur, vt et Graece scribendi et versificandi frequens exercitatio seuerè exigatur. Adeo Graecarum litterarum contemptoribus nulla apud nos publica auctoritas vnumquam patrocinata est, quae ne veniae quidem spem illorum inertiae reliquit, quos publica lege proficere poenitet. In ceteris, in quibus priscae consuetudinis pertinacior imitatio reprehensione non caret, facile posthabitu est inuisae alioqui nouitatis odium. Cum itaque sero tandem appareret, male et sinistre cum pueris agere praeceptores, qui Latinae linguae praecepta his proponant ignoti sermonis obscuritate inuoluta, et ipsis rebus, quae explicandae sunt, intricatiora: non repugnatum est meliora suadentibus, et triseclisensem grammaticam Weinrichianam, quotidianis suppliciis in obnoxios greges suo prope iure iam faeuientem, de ponte deiectum eun-

o Iunkeriquinquennium significo, quod inscriptum est: die binnen den nächsten fünf Jahren über das Eisenachische Gymnasium v. altende Gnadenhand unsers lieben Gottes. 1712.

tibus. His igitur vltro permiffum, vt Marchica grammatica Latina, nostro fermone fcripta, et perfpicuitate commendatiflima, in alterius locum fubderetur, et, quo parabilior efferet, a. c. 10 10 CC XXIII. noua editifone in vrbe vulgaretur: in qua poftera a. c. 10 10 CC XXXVII. indice aucta a V. CL. Io. Iacobo Schatzio, iterum typis exfcripta eft. Accesfit deinde eiusdem grammatices epitome, antea Erfurti vulgata, fed noftri gymnafii vfibus ab eodem celeberrimo viro magis accommodata a. c. 10 10 CC XXX. et a me quoque a. c. 10 10 CC XXXVIII. non nihil emendata et fuppleta. Plures huius generis libri facile admiifi, in quibus eft Cellarianus vocabulorum index, grammatica Graeca Halenfis, eiusdem epitome Schatziana; et quos deinceps nominabimus. Quibus fi quid ad publicam vtilitatem profectum eft, quod haud quaquam exiguum effer arbitror: non minima eius laudis pars eidem, quem honoris caufa iterum appello, debetur Schatzio, cuius operam in corrigenda non magis fcholae noftrae difciplina, quam in munienda felicius difcendi via, praeclaram fuiiffe, nemo nifi ingratiiffimus negare audebit.

VIII. Id tanto magis ex iis elucebit, quae in ceteris clafibus meliora eius confilio funt facta. In his quidem non numerabo illud, quod arithmetica in inferioribus etiam clafibus difci coepit; (nam id Iunkerum fortaffe habet auctorem) fed quod nouae grammatices epitome, quam dixi, in *quintam* et *quartam* clafsem recepta, atque ex hac primm, tum et ex libro memoriali Cellarii ea vocabula pueris edifcenda propofita funt, quibus probatifsimi fcriptores vtuntur, et a quibus cetera deriuantur. Magnum enim hoc *nomenclatorum*, qui antea parati fuerunt, flagitium eft, quod fere omnes barbari et inquinati fermonis fordes ipfi perdocent: cum fuma praepceptoris cura euitandum fit, ne quid, quod dedifcendum fit, primis annis difcatur. Cetera non minus probanda, quod *quartanis* Langiana colloquia conuenientiora habita funt aliis, quae inquinato fermonis genere, adultioriue aetati fcripta funt; quod *tertianos* Cornelii Nepotis lectione initiare, *secundanis*, praeter hunc, praeter Ciceronis epiftolas, Ouidiique triftia, Phaedri quoque fabulas alternis explicandas adfignare placuit; quod denique in *quarta* Graecae linguae et hiftoriae facrae, in *tertia* geographiae, in *secunda* rhetorices docendae initium factum eft. Primanis et felectanis, diu quamuis vacante loco, quem *feminarii theologiici infpector* tenuerat, non modo nihil temporis, antea ad audiendum dati, adem-

tum, sed et aliquid adiectum est, quod cognoscendis antiquitatibus Rom. debebatur. *Ascetica* tantum, quae dierum dominicorum opella fuerat, et disputationes, quas Iunkerus instaurauerat, conticuerunt.

VIII. Proximis his annis, quibus mea opera uti voluit gymnasium, in suo vestigio perstiterunt, quae a superioribus bene ac prudenter constituta fuerant. Binae tantum Iouis diebus horae diurnis operis adiectae sunt, quas antea sacra publica exemerant. Has exercendis ad disferendi et disputandi facultatem selectanis reddi, publico consilio comprobatum est. Ne vero necessariis utique ad pietatem cohortationibus rarior esset occasio, placuit, quotidie a Graeca sacrarum litterarum lectione auspicari, et breuia sancte viuendi praecepta, quae illa suggerit, ceteris praemisfa, vacuis tum maxime animis inculcare; diebus vero dominicis, quam diu per anni tempus liceret, de iuuentutis officiis, Christianae disciplinae consentaneis, plenius exponi. Pro Posselianis versibus substitutae sunt Graecae Aesopi fabulae, noua editione mea discentium vsibus accommodatae: cum ceteris Ciceronis libris, epistolis et orationibus, quibus suus locus manet, eiusdem officia coniuncta; profectuum vero suorum periculum facturis frequentior publicarum recitationum et disputationum potestas concessa. Quo factum est, ut his octo annis ad audienda spectandaque eorum tirocinia quadraginta panegyres indici potuerint. Ut vero totam institutionis nostrae rationem, in superioribus quidem clasibus adhuc seruata, et in posterum, ut spero, seruandam, sine longiore mora, et inutili temporis et chartae iactura, proponam; quae cuiusque opera diei sit, hanc tandem disertationem finiturus, parua tabula significabo. Cum selectanis autem in eodem auditorio congregati primani ceteris diebus vni praeceptorum pariter dant operam; solis diebus Iouis et Veneris post meridiem separatim instituuntur primani. Forma litterarum antiqua, quae ad ordinarii, id est, *directoris* officium pertineant; altera, quae barbara dicitur, quae extraordinariae vicis sint, monstrat.

IN CLASSE SELECTA

DIE SOLIS

Post sacra publica lectio, sacrarum litterarum *ascetica*.

DIE LVNAE

H. VII. MAT. N. testam. Gr. lectio ut ceteris diebus.

Materia, Lat, vel Graece domi formanda, dictatur.

VIII.

VIII. *Aesopi fabulae Graecae.*
VIII. *Ebraicae linguae institutiones Danzianae.*
POMER. I. *Theologia.*
II. *Curtius.*

DIE MARTIS

MAT. VII. *Antiquit. Rom. Nieuporti,*
VIII. *Ebraic. institutiones Danzianae.*
VIII. *Theologia.*
POM. I. ET II. *Exercitatio stili extemporalis.*

DIE MERCVRII.

MAT. VII. *Isocrates et Plutarchus de puer, educ, alternis.*
VIII. ET VIII. *Ciceronis orationes.*

DIE IOVIS

MAT. VII. *Lectio N. T. Graeci exegetica,*
VIII. *Disputatio.*
VIII. *Exercitatio poëtica.*
POM. I. *Historia eccles. xechenbergii.*
II. *Oratoria.*

DIE VENERIS

MAT. VII. *Virgilius.*
VIII. *Curtius.*
VIII. *Histor. vniuers.*
POM. I. *Pufendorffii lib. de officio hom. et ciuis.*
II. *Logica.*

DIE SATVRNI

MAT. VII. *Latine vel Graece domi composita emendantur.*
VIII. *Ciceronis epistolae.*
VIII. *Horatius.*

In CLASSE PRIMA

DIE IOVIS HOR. I. POM. *geographia.*
II. *Logica.*

DIE VENER. H. I. POM. *Rhetorica.*
II. *Ciceronis officia.*

X. Qua via ad singula haec cognoscenda ducantur, quousque
discendi studio progrediantur, qui nobis operam dant, in re praesenti
iam saepe spectatum est, et crastino die denuo spectare licebit omnibus,
qui

qui nostram scholam bonis artibus florere cupient. In hunc enim proximosque quatuor dies anniuersaria ill. gymnasii lustratio, translaticio more peragenda, publica auctoritate indicta est. Ea igitur seruato, dum prooemiandi partes meae erunt, *quanta in accendis discipulorum studiis vis sit praemiorum*, breui sermone ostendam. Quibus me audire molestum erit, qui dicendi rara, scribendi quotidiana semper exercitatione usus sum: his tanto expectatior erit postremus Veneris dies, quo digniorem frequentis splendidoque auditorio orationem hora 1. pomeridiana habebit VIR MAGNIFICVS AC SVMME REVERENDVS,

IOANNES. VVEISSENBORN

S. S. THEOL. DOCTOR CONSILIAR. ECCLESIAST. ECCLES. ISENACENS. DITION. ANTISTES SVPREMVS ET ILL. GYM. EPHORVS PRIMAR. cui sese curae esse, cum ceteris rebus experiuntur, tum hinc etiam intelligunt Musae nostrae, quod suam ILLI cathedram haud fastiditam esse vident. Epilogi vicem sibi traditam explebit collega noster, VIR NOBILISSIMVS

IVSTVS SAMVEL RITTER

CANTOR ET QVARTAE CLASS. PRAECEPT. ORDINAR. qui eius artis, cuius praecipuam laudem Isenacensibus vindicat Paullinus noster, id est, *musicae praestantiam*, pro suo in eam studio, tantam esse ostendet, quanta ea sapientioribus semper visa est. Qui legitime e suprema classe dimissi, et clandestinum hinc discesum, quasi liberam inicitiae improbitatisque confessionem, sibi indecorum rati, grati in patriam ac praeceptores animi officio publice d. IIII. APRIL. HOR. II. POMERID. fungi volent, digni quorum nomina ad publicam spem commendentur, sunt hi:

IO. MICHAEL GEORGIUS SCHWEBE, Isenac.

IO. FRIDERICVS IVNCKER, Isenac.

IO. ELIAS LAVFER, Isenac.

FRIDERICVS SCHROEDER, Mosbacensis.

Primum planum facere conabitur, *immortaliter de iuuentute mereri, qui eam ad virtutem et humanitatem instituant*; alter, *in omni institutione magnam esse fortunae vim*; tertius causas exponet, *cur Romani primis dicendi exercitationibus peregrinam linguam, id est, Graecam convenientiorem existimauerint, quam suam*; quartus *mathematicarum disciplinarum multiplicem vitaeque necessariam utilitatem* pereensebit. Ita indicis officio perfunctus partem muneris praecipuam superesse video, vt ill. gymnasii PATRONOS ac FAVTORES vel precibus, vel redditis precandi causis, ad concelebrandos hos dies inuitem. Cum vero dubitare non debeam, quin ipsis pro sua sapientia curae sit, ne publica schola derelictui haberi cuiquam videri possit, cuius fundamentis ciuitatis salus constituitur: hoc vnum tantum, quod iterum saepiusque facio, testatum esse volo, candidissimam maxime illam nobis lucem numerari. qua ILLVSTRIVM AMPLISSIMORVMque, qui in vrbe sunt. VIORVM venerandi vultus obscuris Musarum nostrarum tectis adfulserint. P. P. ISENACI D. XXVII. MARTII A. CIO IO CC XXXVI.

4018



Q. K. 125, 42.

Ya
4371

DOCENDI RATIO
IN
SCHOLA ISENACENSI
ANTE NOSTRA TEMPORA VSVRPATA
HODIEQVE PROBATA



SVB AVSPICIA

TRATIONIS

R. A. CIO IOCC XXXXVI.

TRONI
DRES

RATIONES

ANDAS
GNENTVR
OGANTVR

SINGERO
ECT.

NIS.

